

Q. D. O. M. B. V.

Saecularia Sacra Septima
Conversionis Pomeranorum ad Christi Evangelium
Annuente Summo propitioque Numine
Auspiciis

Serenissimi Potentissimique Borussorum regis

F r i d e r i c i G u i l e l m i III

patriae patris

justi pii felicis

i n G y m n a s i o S e d i n e n s i

d i e X V I . J u n i i M D C C C X X I V

H o r a p o s t m e r i d . I I I .

c e l e b r a n d a

i n d i c i t

e t a d e a p i e p e r a g e n d a

V i r u m I l l u s t r i s s i m u m E x c e l l e n t i s s i m u m

I o a n n e m A u g u s t u m S a c k

I . V . D .

P o t e n t i s s i m i B o r u s s o r u m r e g i s a C o n s i l i i s i n t i m i s

P o m e r a n i a e g u b e r n a t o r e m e t p r o p u g n a t o r e m v i g i l a n t i s s i m u m -

s u m m u m G y m n a s i i C u r a t o r e m

C r u c i s f e r r e a e e t a q u i l a e r u b r a e e q u i t e m

N e c n o n D u c t o r e s a t q u e P r a e f e c t o s L e g i o n u m f o r t i s s i m o s m a x i m e s t r e n u o s

R e g i o r u m C o l l e g i o r u m q u a e r e s P o m e r a n i a e p u b l i c a s

F o r e n s e s e t S a c r a s m o d e r a n t u r

P r a e s i d e s D i r e c t o r e s C o n s i l i a r i o s s p e c t a t i s s i m o s

G y m n a s i i C u r a t o r e s P a t r o n o s s u m m a v e n e r a t i o n e

p r o s e q u e n d o s

o m n e s d e n i q u e

M u s a r u m n o s t r a r u m f a u t o r e s a m i c o s

e a q u a p a r e s t o b s e r v a n t i a

i n v i t a t

D r . F R I D E R I C U S K O C H

P o t e n t i s s i m i B o r u s s o r u m R e g i s a C o n s i l i i S c h o l a s t i c i s G y m n a s i i D i r e c t o r e t P r o f e s s o r
S o c i e t . L a t . J e n e s . S o d a l i s .

F r a m i t t i t u r M . P e t r i C h e l o p o c i P y r i c e n s i s e n a r r a t i o d e C o n v e r s i o n e e t r e l i g i o n e P o m e r a n o r u m n u n c p r i m u m
e c o d i c e M s p t o e d i t a .

S e d i n i F o r m i s S t r u c k i a n i s .

Książnica Pomorska



0 0 0 0 3 1 6 8 0 8 9 9



Pr II 08854

16759

Akc. i Nr. A / 16

Primordia rerum Pomeranicarum densis adhuc in tenebris versari, experti sunt et conquesti omnes, qui in perscrutandis fontibus et colligendis subsidiis, his studiis inservientibus, fuerunt occupati. Causae spissae hujus caliginis haud e longinquo videntur repetenda. Pomerani enim, per longum saeculorum decursum segregati atque exclusi ab omni commercio cum populis, qui humanitatis jam essent imbuti studiis, sero admodum culturae commodarunt aures, et post conversionem ad Christi evangelium tandem monasteriorum, ecclesiarum, scholarumque institutione ab hac agresti vita et inulta ad mansuetiorem vitae conditionem perducti, bellicis magis quam pacis artibus inclarerant. Inde factum est, ut, quae de Pomeranorum fatis ante conversionem memoriae prodita sunt, extenorum, finitimorumque historicis accepta referantur. Libenter itaque Gregorio Lago adsentiamus, qui, in libro de Pomerania Vitebergae a. 1559 conscripto, verissime contendit: „De antiquitate gentis nihil certi affirmari potest, nec de rebus gestis, nisi quantum ex paucorum et alienorum monumentis cernere est, qui tamen eas vix paucis delibarunt. Non enim habuerunt eruditos homines illa tempora, sed actores rerum, ibi plus valuisse quam scriptores verisimile est. Sed tamen, quantum monumenta ostendunt aliorum, non fuisse ignotam gentem vel obscuram cernitur et praecipue acrem fuisse et Mavortiam.” —

Domesticis igitur scriptoribus caret Pomerania usque ad ea tempora, ubi, post instaurationem quam vocant literarum, has quoque regiones humanitatis atque eruditionis quaedam scintillae illustrasse, diligentiamque in investigandis rebus a majoribus gestis ponendam, excitasse videntur.

Sed actum agerem, si hoc de argumento copiosius vellem disserere, cum a viris doctissimis et in his rebus versatissimis summo et ingenii acumine, et doctrinae quibus abundant copiis, nuperrime disputatum sit. Hasselbachium dico V. Cl. Collegam amicissimum, qui in epistola ad Hakium *) Dioeceseos Treptoviensis Superintendentem dignissimum, face critica perlustravit monumenta Pomeranorum historica; et Cl. Mohnikium, Consistorii, quod res ecclesiasticas et scholasticas per Pomeraniam ordinat Consiliarium, qui in praefatione Chronicis Sastrovii praemissa **) diligenter egit recensum auctorum, qui de Pomeraniae situ, incolis ac moribus literis consignata monumenta reliquerunt, rerumque in his terris gestarum memoriam posteris tradiderunt. At ingratii prorsus essemus, nisi quae ad promovendum et excitandum historiae studium plurimum contulit, in edendis Kanzovii annalibus spectatae, Cel. Kosegartenii diligentiae, debitam justamque vellemus referre gratiam; libere fidenterque pronuntiare audemus, optime actum esse de historia Pomeranorum domestica, si quae fuit Sastrovio et Kanzovio benigna sors, ut in doctas Mohnikii et Kose-

*) Vid. Ueber Sell's Geschichte des Herzogthums Pommern, ein Sendschreiben an den Herrn Superintendenten Haken von K. F. W. Hasselbach. Stralsund 1821. (8)

**) Bartholomaei Sastrowen Herkommen, Geburt und Lauf seines ganzen Lebens; aus der Handschrift herausgeg. von G. C. F. Mohnike I.-III Th. vid. Tom. I. praef. Qui conferre voluerint: Pauli Bolduani Bibliothecam historicam (1620) p. 227. M. Rangonis not. ad Origines Pomeranicas (1684) p. 237 seq. Christiani Schoettgen: Altes und Neues Pommerland (1721) I. 1 — 25. II. 129 — 167. III. 287 — 313. IV. 407 — 430. V. 541 — 632. Andr. Westphal Einleit. in die Geschichte von Pommern MS. Francisci Wokenii (1732) Beitrag zur Pomm. Historie. J. C. Daehnert (1750) Pommersche Bibl. I. 2. p. 9. sq. Joh. C. Conr. Oelrichs (1765) Entwurf einer Biblioth. zur Geschichte der Gefahrtheit in Pommern. Continuat. in: Historisch-Diplomaticischen Beiträgen zur Geschichte der Gefahrtheit in Pommern. P. II. p. 163. sq. Thom. Henr. Gadebusch (1771) Ueber die Geschichte von Pommern. p. 1 — 20.

sentient profecto quantos fecerit historia literaria Pomeranorum progressus, dum in nonnullis quidem in colligendo laudandam diligentiam, in paucis vero in dijudicandis scriptoribus ingenii acumen deprehendas.

gartenii manus inciderent, ceteris quoque obveniret annalium confecto-ribus, qui ut in lucem producantur publicam suo quasi jure efflagitare posse videntur.

Praeclara haec specimina reviviscentis erga res domesticas amoris, quo studia per longum fere tempus neglecta, denuo coluntur, fidem quasi dant, non longe nos abfuturos a spe fore, ut jactura, quam olim in Heileri *) et Wintheri **) operibus fecerimus coeptis quidem, sed non ad finem perductis, necdum editis, restituatur, ita ut damni quod inde passi simus libenter obliviscamur.

*) D. Guntherus Heiler Nat. Halae Sax. 1645. indefesso studio magnisque sumtibus opus historicum molitus erat, idque XXII. tabulis aere incisis instruxerat, sed morte impeditus est, quo minus in lucem ederet publicam. Tribus libris complectebatur hoc opus universalem totius Pomeraniae historiam. Überiorem conspectum vasti hujus operis dedit G. G. Kusterus Rector quondam Gymnasii Werderiano-Berolinensis in Oelrichsii Historisch-diplomaticischen Beiträgen Tom. II. p. 153. sub titulo: Zwo umständliche Nachrichten von einem höchst seltenen ungedruckten grossen und mit XXII Kupferstichen versehenen Werke, so der seel. Hinter-Pommersche Generalsuperintendent D. Günther Heiler nachgelassen hat, die Pommersche Historie betreffend. — De fatis hujus libri legi merentur, quae idem Oelrichsius narrat in: Entwurf einer Bibliothek zur Geschichte der Gelahrtheit in Pommern (1765) p. 110: „Die sämmtlichen Msta, mit denen dazu gehörenden Kupferplatten sind an des Königl. Preuss. wirkl. Geh. Staats-Krieges- und Cabinetsminister H. Casp. Wilh. von Borck Excell. so zu Berlin im 1447 J. d. 8. März im 43. Jahre seines Alters verstorben, gekommen, und hiernächst an seinen Bruder den Hauptmann und Johanniter Ordens Ritter H. Jürgen Balthasar von Borck zu Falkenburg in der Neumark.“ — Habent sua fata libelli! De Vita Heileri disserit Vanselow: in zuverlässigen Nachrichten von denen Generalsuperintendenzen und Praepositen, Pastoren, so seit der Reformation bis Anno 1765 im Herzogthum Hinter-Pommern und Fürstenthum Cammin gestanden und noch stehen. p. 65.

**) De Jurgae Valentini Winteri Baltho Pomeranico Paul. Bolduanus in Bibliotheca historica (Lips. 1620. 4.) p. 228. fucum, fortasse ipse deceptus, fecerat reipublicae literariae, de Winteri libro tanquam edito, locutus his verbis: „Jurga e Valentini Winteri I. V. Doct. Comitis Palatini et aulae Sedinensis Consiliarii, Balthus Pomeranicus, hoc est rerum Pomeranicarum libri IV. Quorum I. continet descriptionem Pomeraniae a primis incolis, II. Genealogiam et res gestas ducum

Spem nostram minime inanem fore, spondent passim in Germania constitutae voluntariae Societates, quibus curae cordique est, idque unice sunt acturae, ut monumenta ad illustrandam patriae historiam spectantia undequaque explorentur, colligantur inque ordinem digerantur, ita, ut quae neglecta et inculta hucusque jacuerant rerum documenta, in justum corpus historicum redacta clarissimum in tantis rerum tenebris praelatura sint lumen.

Nostra quoque Pomerania simili mox gaudebit instituto.

Excellentissimus enim Provinciae Gubernator, Illustrissimus Sackius I. V. D — cui quantum debeat Pomerania in promovendis litterarum artiumque studiis, annales loquentur, grataque posteritas praedicabit — probe perspiciens, has per Germaniam constitutas Sodalitates, quamvis loco disjunctas et dispersas, tanquam unius matris filias, uti stirpis ita scopi quoque communione ac vinculo firmissimo conjunctas sibi invicem opem esse laturas in perscrutanda antiquitate, diu jam de constituendo sodalitio, rebus Pomeranicis operam studiumque navaturo, consilia inire coepit. Quintiam sapienti viri Excellentissimi consilio acceptum referet Pomerania, si, quod diu erat in votis, Codicem diplomatum, Dregeri studio congestum, in lucem prodiisse publicam viderimus, cuius editionis beneficio aditus ad sanctiora historiae penetralia patebit.

His tam felicibus auspiciis omnibus patriae historiae cultoribus atque fautoribus late aperietur campus in quo illorum virtus possit excurrere. Nam conjunctis multorum laboribus ac studiis continget profecto, cui multum operaे frustra unius imbecillitas impenderat, ita fiet ut haec studia

Rom. a tempore Caroli Magni Imp. III. Status ex praelatis et nobilitate additis insignibus et genealogiis praecipuarum familiarum; IV. Civitates et earum privilegia. Lugduni 1620, fol. vid. Schoettgen: Altes und neues Pommerland p. 3 — 7. in primis vero uberiorem expositionem argumentorum in his libris tractatorum invenies in Wokenii Beiträgen zur Pommerschen Geschichte p. 9 — 47. coll. c. Hasselbachii Sendschreiben p. 27 — 29.

neque propter negligentiam jaceant amplius neque propter difficultatem deserantur. Propugnatores enim horum studiorum, primipilorum quasi partes sustinentes, novos quoque amatores his studiis conciliabunt, et hastatis addent calcar, ut pro virili rem Pomeranorum agant, strenueque defendant.

Me quoque, hominem peregrinum, qui ante triginta, et quod excurrit, annos, in has terras sum delatus, incredibilis cepit horum studiorum amor, cui quamvis horis tantum subsecivis indulgere poteram — attamen, quantum licuit, Pomeraniae, quam quasi alteram nactus eram patriam, rerum scriptores diligenter pervolvi. Praecipue autem in his diebus, quibus gratam ac piam conversionis Pomeranorum memoriam recolimus, adii non modo notissima illa subsidia, quae Ottonis Pomeranorum Apostoli vitam illustrarunt, verum etiam vetustissima Chronica, quae de origine atque progressu hujus conversionis, ut sperabam, uberior quid atque certius essent expositura.

In his meis peregrinationibus per vetusta rerum Pomeranicarum monumenta, incidi in M. Petrum Chelopoeum Pyricensem, *) qui eo magis alliciebat scrutantis animum, quod ab auctore e Pyritia oriundo, ubi primitias venerandus Otto Christo Salvatori dicaverat, uberior exspectari poterat enarratio de conversione Pomeranorum.

Qua in exspectatione quamquam me delusum mox intelligebam, attamen non omnino rejiciendum nulloque in numero esse auctorem habendum putabam, quem Micraelius, cui, omnium qui recte judicare possunt consensu, palma in historia Pomeranorum conscribenda tribuitur, inter eos

*) Nomen Chelopoei perperam scribitur passim Chelopaenus et turpi typographi vicio Chetopoeus in Daehnerti Bibl. Pom. V. 1. p. 163. iterum in indice s. h. v. qui genuino vocabulo Kistmacher appellandus, sed erat doctis temporum illorum, hominibus superba quaedam arrogantia, ut paterna et genuina nomina in graeca detorquerent vocabula, ita factum est, ut Artopaeorum (Bekker) Philostratorum (Liebeheer) Placotomorum (Bretschneider) Micraeliorum (Lütke-schwager) familiae in historiam literariam immigrarint.

recenset, quorum annalibus in concinnando opere non sine fructu fuerit usus. Ceteri annalium scriptores silentio praeterierunt Chelopoeum, quid quod **Paulus Fridebornius** in libris, quos de civitate Sedinensi composuit, totum Chelopoei locum suppresso ejus nomine, notulis margini adscriptis intexuit. Operae itaque pretium mihi visum est, e tenebris in quibus adhuc sive temporis injuria, sive aequalium invidia jacuerat, in lucem producere publicam Chelopoeum, cuius Chronicí anno 1574 conscriptí duos Codices, manu exaratos singulari fati beneficio ipse possideo, quorum unus, quantum ex literarum ductu colligi potest, vetustatem saeculi XVI redolet, alter vero novissimam prodit manum et caret epistola dedicatoria ad Joannem Friedericum Ducem Pomeraniae scripta.

Distributum est Chronicon Chelopoei, quod inscriptionem in fronte gerit: **De Pomeranorum regione et gente in quinque capita, quorum primum agit de situ, fertilitate, et fluviis Pomeraniae; secundum enarrat Provincias et urbes Pomeraniae; tertium disserit de origine Pomeranorum; quartum disputat de conversione et religione Pomeranorum, quintum denique uberior exponit de rebus gestis ducum Pomeraniae,** ita ut plus quam dimidiam operis partem huic narrationi concesserit. In fine operis reperiuntur tabulae genealogicae Ducum Pomeraniae et Rugiae.

Dum caput hujus Chronicí quartum de conversione et religione Pomeranorum prelo submittens in lucem prodire publicam jubeo, rem, neque a diebus festis, quibus Sacra Saecularia conversionis Pomeranorum ad Christi Evangelium pio animi affectu celebramus, alienam, neque ab officio abhorrentem meo, quo iuvenes institutioni nostrae traditi Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi amore imbuendi sunt, tractasse arbitror.

Prius autem quam Chelopoeum loquentem induco, quaedam de vita ejus praemittenda videntur. Pauca quidem sunt quae de homine ignoto et usque ad hoc usque tempus prorsus neglecto possum praefari. Cum enim praeter nomen in novissimis rei literariae Pomeranorum scriptoribus nihil omnino inventirem, quod ad illustrandam Chelopoei vitam lucis aliquid afferre posset,

diu anceps haerebam, quo sit functus officio, utrum ad viros ecclesiae inservientes, an ad hos homines umbraticos, qui vitam scholae dicarunt, anumerandus, aliamve vitae conditionem nactus fuerit. Omnibus ita subsidiis destitutus, quibus vel ad generaliorem quandam de vita Chelopoei pervenire possem cognitionem, ad amicissimum Brehmerum, V. D. apud Pyricenses ministrum dignissimum confugi, et ab eo petivi, ut in archivis ecclesiae et Curiae Pyricensis diligentem institueret investigationem, num de vitae conditione Chelopoei e Pyritia oriundi quidquam possit erui et ad liquidum perduci. Sed, proh dolor! vel diligentissima amici cura atque sagacitas irrita fuit. Nulla enim omnino deprehenduntur in tabulariis publicis acta, quae ad Saeculum XVI pertinent, nam adversa, quam experta est Pyricia iterum iterumque fortuna, annis 1596, 1634, 1652, 1720 flammis combusta sunt omnia, ita ut ne indices quidem ecclesiastici servari potuerint.

Iniquam dolens Chelopoei sortem revolvi caput primum Chronicus ejus, et quam diu frustra quæsiveram se mihi obtulit notitia quaedam de vita auctoris. Dum enim primordia urbis Sedini enarrat, ita pergit: „Est et Stetini Paedagogium quod celebre reddidit Christophorus Stymmelius *) trium linguarum doctissimus Theologiae doctor. Hujus scholæ Rectores fuerunt M. Antonius Waltherus, M. Caspar Landsidelius, homo multæ lectionis, M. Matthæus Wolfius, M. Jonathas Gützlaff, Stolpensis, M. Martinus Ruhelius, Stargardensis, et hodie M. Conradus Bergius **) Colbergensis. Correctores fuerunt: M. Michaël Conradus, M. Petrus Lorczetzius, M. Andreas Kräm, M. Johannes Roesel, M. Petrus Chelopoeus, M. Georgius Engelke; M. Andreas Schade.” Alteram mihi praebuit notitiam Micraelius in annalibus Pomeraniae, ubi in libr. VI. p. 429 de Pomeraniae urbibus agens, de Pyritia ita refert: Es hat diese Stadt dieses merkliche Glück

*) D. Christophorus Stymmelius Francofurtanus anno 1556 Artopoei successor. vid. Hering Historische Nachricht von der Stiftung der zwei Collegiat-Kirchen, wie auch des Gymnasii Carolini zu Alt-Stettin 1725. p. 58.

**) M. Conr. Bergius rectoratum adiit anno 1578, et hoc munere per X annos functus, Pastor ad aed. Mar. electus, obiit a. 1592. ib.

gehabt, vors erste, dass sie die erste in Pommern gewesen, so sich beides vom Heidenthum zum christlichen Glauben, und vom Pabstthum zum Evangelio gewendet hat; hernach dass seither der Lutherischen reformation drey Blennones mit dem Vornahmen Faustini, und Zweene Schrammen mit dem Vornahmen Lucas, nebst M. Petro Chelopoeo, der ein Pommerisch Chronicon kürzlich gefasset den Pastorat allda bedienet haben." — *)

His muneribus in schola et ecclesia operam navasse Chelopoeum ab anno 1550 usque ad annum 1580 temporum rationi admodum videtur consentaneum.

De scriptis Chelopoei nihil paene habeo, quod in medium possim afferre, nisi quod amica Boehmeri Collegae carissimi, manus mecum communicavit. Scripsit nempe Chelopoeus orationem de Pace, recitamat in schola Pyricensi cum M. Fabian. Thymaeus Superintendens Pomeraniae primam Pyritiae synodus celebraret 1564. d. 27 Juny. — Francof. 1564 (8) Depromsit hanc notitiam Boehmerus ex autographo b. Vanselovii, qui alteram moliens editionem Lexici eruditorum Pomeraniae, tribus voluminibus forma maxima conscriptum reliquit opus, quod in Bibliotheca illustr. Dom. ab Osten asservatur, titulum gerens: Pomerania literaria i. e. Pommersches Gelehrten-Lexikon, worin die in Pommern gebohrnen Gelehrten männlichen und weiblichen Geschlechts nach ihrer Geburt, Leben, besonderen Begebenheiten, Absterben und verfertigten Schriften aus bewerten Sribenten und andern Nachrichten in alphabetischer Ordnung beschrieben worden, zusammengetragen von A. C. Vanselow Fol. 3. B. **)

De Pyritia urbe quae tradidit Chelopoeus hic non praetereunda videntur, quia ipsius de patria civitate judicium posterioris aevi chorographi seuti sunt. Verba ejus ita sonant:

*) cf. Zeileri Topographia electoratus Brandenburgici et Ducatus Pomeraniae p. 85. — Woken Beiträge p. 135. — Das erläuterte Preussen T. IV. p. 388 sqq.

**) En largam de re literaria Pomeraniae bene merendi materiem! si quis doctum hoc opus b. Vanselovii velit retractare, quae desint reficere, et ad novissima perducere tempora!

„Pyritia formam habet rotundam et in planicie sita est. Itaque omnium munitissima reddi posset. Nomen habere a πυρης, quod Homero significat triticum, consentaneum est, sitae nim est *cis* Maduium in eo tractu ubi crescit triticum, qui tractus vulgo appellatur im Weiz-Acker. Et terra ibi est fertilissima copiose producit silinginem, triticum, hordeum, avenam et similia ejus generis. Pyricenses sunt liberales etiam erga exteros in porrigendo cibo et potu nec libenter aliquem dimittunt jejunum. Non exercent cives mercaturam, sed agriculturam, qua (ut scribit Cicero) nihil est melius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Res enim familiaris quaeri debet his rebus a quibus abest turpitudo. Apud eos in tanto pretio habetur musica, ut fere nullum sine ea celebretur convivium, quae alioqui ibi sunt frequentissima. Hoc oppidum etsi in finibus situm et saepenumero obsessum est, tamen alienis dominis nunquam fuit subjectum, adeo fortiter pro patria pugnarunt cives, tantamque praestiterunt Principibus et dominis suis fidem. Hanc quoque urbem Barnimus X prae ceteris commendavit et praedicavit ob praestitam ei semper obedientiam.

Pyritia anno 1478 bello posteriori (nam a priori decennium intercesserat) ab Alberto Marchione Brandenburgico magna manu pridie Jacobi obsidione pressa est. Erat tum in eo oppido Bogislaus undecimus, Dux Pomeraniae, quare adeo vehementer restiterunt Alberto Marchioni oppidani, ut post quatriduum discedere coactus sit. Habuerunt tum Pyricenses Bombardarum magistrum, qui de turri contra plateam Banensem obsidentes magno affecit damno ac Marchioni cibum de mensa removit. Certus enim erat ferire quidquid peteret.

Anno 1496 die Petri ad vincula incendio periit fere unum latus civitatis prope portam Banensem.

Anno 1543 die lunae post Laurentii vesperi circa hor. X quarta hujus oppidi pars, quam vocant monachalem, negligentia servi Martini Suemeri similiter igne perit.

*) Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto exstructum est horologium quatuor partes uniuscujusque horae notans.

*) Quae sequuntur verba in priore hujus Chronicorum Codice desiderantur.

Anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo ibi nova turris cupro tecta aedificata est.

Anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio mense octobri ibidem grassari coepit pestis et desiit sequenti anno mense Octobri. Mortui autem sunt circiter 1100.

Anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo maxima ex parte absolutus est agger infra portam Banensem et molam lanificum.

Anno 1572 in autumno exstructa est anterior pars Curiae diruta veteri."

Quam modeste Chelopoeus operi suo ipse statuerit pretium ex introitu discamus, in quo causas quibus ad concinnandum chronicon permotus fuerit, his verbis exponere placuit:

„Non dubium est omnibus hominum pectoribus mirificum quendam patriae amorem divinitus insitum esse. Hujus autem amoris semina in me quoque reperio et sentio. Quis enim extra naturam positus seu plane *άστεγος* aliter sibi in animum induceret? Saepenumero igitur optavi, me perspicua amoris vestigia in Patriam relinquere posse. —

Etsi vero meae tenuitatis mihi probe sum conscientius meque in contextenis historiis minus exercitatum fateor, tamen patriae situm, fertilitatem, fluvios, provincias et urbes breviter describere; originem, religionem et res gestas Pomeranorum ac Rugianorum paucis ostendere conatus sum. —

Non me latet quanti sit judicii, doctrinae et experientiae praecipuas et insignes historias ex magna discrepancia et confusione ordine comprehendere. Hunc tamen laborem et onus suscepi non quod considerem, me narrare aliquid aut efficere posse his rebus dignum, sed ut declararem amorem erga patriam, et excitarem ad hoc opus, qui totam antiquitatem perspicere, omniaque altius reputare, et melius exornare poterit. Quare omnes candide judicantes erroribus et quod omnia negotia ac res gestae non satis pro dignitate, uti decebat a me explicitur, veniam sponte datus, omnino mihi persuadeo, praesertim cum pauci exstant scriptores, qui de his regionibus, Marchia Brandenburgensi, Pomerania, Mechelburga et finitimis ali-

quid laude dignum scripserunt: vel quod hae regiones iis ignotae vel quod invidia paeclaras eorum res gestas atque virtutes silentio praeterierint. Spero tamen hanc qualemcunque hujus antiquissimae regionis et gentis descriptionem profuturam multis, omnibusque bonis jucundam et gratam fore, nam animo tam ferreo esse debet nemo, quem non cupiditas aliqua cognoscendi antiquitatem patriae teneat."

Chelopoei enarrationem de conversione et religione Pomeranorum, cui fragmentum, res in Pomerania ab anno 1451 usque ad annum 1472 complectens, subjungendum curavi, civibus ut spero non ingratum futurum, commentario instruere, de fide atque auctoritate proponere, in fontes quibus hortulos suos irrigarit Chelopoeus curatus inquirere, decreveram, sed gravi subito atque improviso oppressus morbo ab incepto desistere et in alia reservare cogor tempora, quae quo minus expediam fati iniquitate prohibebar.* Hoc tantum monuisse sufficiat, Chelopoeum, quamvis epitomatoribus sit adnumerandus aliorumque nimis diligenter presserit vestigia, non prorsus indignum esse, qui in auctores fide dignos referatur. Sincerrimo enim erga patriam ductus amore, ad scribendum, ut ipse candide professus est, se accinxit, et probatos tantum secutus auctores, ut ex ejus narratione de conversione Pomeranorum videre licet, in qua Abbatis Andreae in primis insistit vestigiis, quid est cur detrahemus debitum honorem homini, qui si quid in conscribenda historia peccarit, temporibus magis quam ipsi culpae dandum videtur. Ceterum ne nimis acerbe de his epitomatoribus statuamus, sapienter monet Salmasius in praefatione editioni Ampelii praemissa, his verbis: „Sed his excerptorum concinnatoribus facile ignoscendum, si quid ea causa detrimenti passa est Res publica literaria. Non enim hoc propo-

* Quare, si quid in hujus scriptiorum tenore peccatum, aut typographi vitio erratum est, veniam ab humanitate ac benevolentia lectoris peto; corporis enim cruciatibus misere dilacerato ad retractandam hanc qualemcunque opellam et tempus et vires deficiebat.

situm videntur habuisse, ut excerpta, quae ad usum suum exscriperant, posteris legenda loco auctorum ipsorum, substituerent. De reliquis quibus appareat hanc animi mentem fuisse, ut pro auctoribus legerentur quos compilaverant aut abbreviaverant, videndum, an omnino hi extra culpam. Nonnemo certe eos accusat, reosque peragit illius incuriae quae tot praeclaros nobis abstulit scriptores: Ego vero epitomatores, et omnes ejusmodi breviariorum compositores et compilatores centonum, non adeo literis censeo nocuisse ut autumant nonnulli. Quod enim ita existimant, eos in causa fuisse, cur ipsis auctoribus, quos abbreviarunt et excerpserunt careamus, ego in alia sum sententia. Ea socordia fuit illorum temporum, quibus barbari literatum et Romanum orbem inundare coeperunt, ut nisi extitissent, qui nobis has ex naufragio tabulas servarent, certum sit, nihil prorsus ex illorum monumentis ad nos fuisse perventurum. Atqui praestat haec qualiacunque nos habere, quam nihil. Malo certe, quod ad me attinet, eos majore sui parte esse deperditos quam si toti funditus periissent. Qui reliquias Sanctorum corporum consequantur, ac studiose religioseque eas requirunt, satis habent si vel uno ossiculo potiri queant. Beatores certe se judicarent si totum corpus aliunde nancisci possent. Hoc cum non liceat, saltem eo, quod licet, contenti sunt. Ita ergo nos affectos esse oportet erga illas veterum reliquias scriptorum, quae nobis remanserunt, gratiamque illis habere, nisi maxime ingrati velimus esse per quos eae hoc qualicunque modo ad nos salvae fuere transmissae." —

Chelopoeo nostro si vitio dari possit quod aliorum vestigiis insistens res gestas enarraverit in eadem re accusandus foret Eickstadius Chelopoei aequalis *) cuius annales magno habentur pretio; qui quam diligens fuerit epitomator Andreae in enarratione conversionis Pomeranorum cuvis accuratam instituenti comparationem protinus apparebit.

Sed ipse jam prodeat Chelopoeus causamque suam tueatur ac defendat!

*) Valentinus ab Eickstedt nat. a. 1527 obiit a. 1579. vid. Balthasar in praef. ed. Epitom. Annal. Eickstadii. p. 5. cf. Daehnert Bibl. Pom. T. IV. p. 8 p. 272. errat igitur Vanselovius qui mortem Eickstadii ad annum 1600 refert.

*Illustrissimo Principi et Domino Domino Johanni Friderico
Duci Stettini, Pomeraniae, Cassubiorum, et vetustae gentis
Henetae, Principi Rugiae et Comiti Caycorum
Domino suo Clementissimo*

G. & P.

*Non nobis solum nati sumus, ut Cicero ex Platone citat, sed partem sibi
vendicat patria, partem amici. Illa enim nos nascentes excipit, natos alit,
semelque editos semper sustinet, ac novissime suo gremio complexa usque ad
resurrectionis diem custodit et reservat. Quare si quid est in nobis vel
ingenui, vel doctrinae, patria prope suo jure fructum a nobis repetere debet.*

*Magna etiam virtus est amare patriam atque in eam perspicua amoris
et pietatis vestigia relinquere, uti Zenonem, Trasibolum, Mutium, M. Curtium,
Themistoclem, et alios quam plurimos fecisse legimus. Haec me moverunt et
excitarunt, ut aliquid de Pomeranorum regione et gente breviter colligerem
et conscriberem.*

*Etsi vero jamdudum multi boni et docti viri, me adhortati sunt, ut
ea quae inter molestias, occupationesque meas conscripsi, divulgarem et
ederem, qua etiam in re, suam mihi polliciti sunt operam, tamen eorum ad-
monitioni certis de causis locum relinquere nolui nec debui.*

*Sed hoc meum exiguum sane scriptum, consulto C. T. offerre volui, sup-
pliciter orans, ut C. T. hunc libellum benigne suscipiat, revisionem ejusdem
C. T. consiliarii mandet, et me sibi commendatum habeat. Ac cum omnia
negotia, et res gestae in tanta discrepancia et confusione, uti decebat, non*

explicantur, non dubium est mihi, C. T. consiliarios, ea omnia, altius reputuros, et pro eorum sapientia, conditione et industria, ingeniorumque dexteritate melius et pulchrius exornaturos et locupletaturos esse.

Oro autem aeternum Deum, patrem Domini nostri Jesu Christi, ut C. T. diu servet incolumem, ejusque gubernationem salutarem faciat, et Ecclesiae et hisce regionibus. Amen. Piritiae a nato Christo Anno 1574 die 13 Octobris, quo die ante annos 296 mortuus est Barnimus primus cognomento Bonus, cuius filiam Hedwigam Johannes Marchio Elector Brandenburgicus sibi legitime conjunxit, cui pro dote cessit Prentzlovium totaque Ukermarkia.

Illusterrissimae Celsitudinis tuae

Subjectissimus

Petrus Chelopoeus

M.

M. Petri Chelopoei de Pomeranorum regione et gente.

Cap. IV.

De Conversione et Religione Pomeranorum.

Hactenus de situ, fertilitate, fluviis, provinciis et urbibus Pomeraniae ejusque gentis origine dixi, nunc de conversione et religione Pomeranorum. Tota ora maritima ab Holsatia usque ad Livoniam olim inhabitata fuit a Vandalis seu Slavis, inter quos numerantur Megapolenses, Brandenburgenses, Pomerani, Rugiani et Livonienses, qui in universum conspirarunt in subversionem fidei christiana. Et quamvis saepe persuasi et adducti, aliquando etiam coacti ad recipiendam fidem christianam, tamen hoc faciebant simulato corde, et ad horam. Nam illico reversi sunt ad vomitum.*). Quare contra eos pugnavit Carolus Magnus et post eum alii Caesares quoisque tandem expugnati et victi ad Christum conversi sunt.

*.) Conradus Schurtzfleischius in dissertatione de Originibus Pomeranicis causas, quibus factum sit ut Pomerani tam sero ad Christi Evangelium converterentur, praeclare exposuit § 4. sq. his verbis: Sed quia coepi commemorare unde antiqua gentis religio illustratur, opportunum existimo reddere ex publicis commentariis quid sit, quod tam sero ipsa mansuefacta fuerit, et perducta ad Christianorum partes, curque ex tam magno temporis intervallo post Saxones pervenerit ad Societatem melioris cultus; non modo quod haec quaestio dum edita est in vulgus, sed etiam quia multa hinc pendunt, quae alibi consulto, hic non nisi negligenter praetermittam. Principio arguam obstinationem, qua diu stetit superstitionis hujus populi, et eo majora incrementa cepit, quod Christiani, qui arma huc ferebant, non perinde in religionis propagandae,

Misit enim Ludovicus II. cognomento Pius anno Christi 1025 Monachos de Corbeja egressos sanctitate insignes, qui praedicarent Evangelium, primum Rugianis, deinde finitimis, et quia res bene successit, ibi etiam oratorium fundarunt in honorem salvatoris nostri et in memoriam S. Viti, Corbejensis patroni; Caesar vero tributum, quod ei dare soliti erant Rugiani, dicavit S. Viti monasterio in Carnia; quo semel atque iterum detulerunt. Tandem vero cum Caesar multis vexaretur bellis, Rugiani a fide defecerunt, statim pulsis sacerdotibus atque Christicolis religionem verterunt in superstitionem. Nam beatum Vitum, quem nos sanctum martyrem et Christi servum electum confitemur pro Deo coeperunt venerari,

quam praedae agendae spem erecti † multa avare, insolenterque facerent, jactato quidem jure in speciem causae, sed opere ita dissimili, contrarioque verbis exemplo, ut grassarentur licentius subinde, et turpius expilarent. Illud vero gravissimum inter has quaerelas erat, quod quum tam immodica tributa ‡ imponerent nostri, non videri possent consulere pietati, qui aliorum damna in suas utilitates verterent, quique hoc animo essent, ut saltem ditarentur ex incommodis suis. Praeterea mores furantium †† odio erant, et quia ignoti inter ipsos invidiam nomini christiano maximam excitabant; his malis accedebat, quod tot dissidiis consumerent se ipsos, nec magis rempublicam, quam eos, inter quos in una republica omnis divini humanique juris communicatio erat, perderent, ac certe in praecipitem casum darent. Quo rerum statu haec mens Pomeranis erat, discedendum ab horum societate esse, qui talia admitterent, quorum auctores neque ferrent inter suos, et multis modis aversarentur.

† Ita cum pecuniae, quam Pomeranoram Christo initiandorum studiosiores essent Christiani, valde stiterunt cursum ecclesiasticus verbi, ac non modo de sua laude detraherant, sed etiam, quae apud barbaros morisque lenitate mixtis efficere poterant neglexerunt. Helmoldus accusat finitimos Saxones, ut quibus belli laborisque auctoramentum avaritia fuerit, I. I. c. 18 et 21. Nec tamen diffitendum est, belli more haec talia facta excusari, tanto magis, quod Pomeranorum saevitia iram Saxonibus excitasset, quod de Rugianis annotavit Krantzius Vandal. lib. 3. c. 23. 24. quamquam non ignoro, eos immodicis exactiōibus irritatos arripuisse saeviendi patrandaeque necis occasionem.

‡ Adhuc sui similis est Helmoldus qui affirmat, neque Dei honore, neque lucrificiēdī Deo barbaris studuisse. Semper inquit, proniiores sunt tributis augmentandis, quam animabus Domino conquirendis. cf. Krantzius Vandal. I. III. c. 18 et IV. c. 24.

†† Cramerus I. I. Hist. eccl. c. 10. nihil perinde ac furtum detestatos scribit, et quod mireris, nec arcas, neque armaria clausa habuisse, tum vero refugisse Christianorum societatem, quod apud eos omnia obsignata occlusaque essent metu furum, quos ibi esse acceperant.

creaturam anteponentes creatori. Hunc Suantevit appellarunt atque ei dererunt tributum, quod antea in Carniam miserant. Intus vero in urbe Arcona, ut testantur historiae, grata planities, phanum habebat, religione vana simulachri celebratissimum, ingens in aede simulachrum humani corporis formam granditate supergressum, quatuor frontibus stabat subnixum; duabus ante et totidem retro patentibus in dextrum tamen et laevum retortis, dextera tenebat cornu meri plenum et sinistra arcum. Semel quotannis post lectas fruges mactatis ante ostium victimis, solenne gentis epulum erat. Aedem sacerdos versabat, spiritu oris compresso, quem, quoties renovare opus erat, ad ostium decurrit, ne humano halitu numinis praesentia offenderetur. Primo mane excubante ad fôres populo, sacerdos ingressus cornu, quod priore anno impleverat, contemplabatur. Etsi eadem plenitudinis mensura responderet, uberiorem pronunciabat messem futuram. Si qua parte minutum, diligentius jussit conservari fruges, quod caristia immineret. Tum vetus merum delibans ad pedes simulachri profudit, repletumque hausit, atque in eandem formam mero plenum, dexteræ numinis restituit. Placentam quoque ea magnitudine, adhibito mulso effinxerunt in formam rotundam, ut post eam homo latere potuerit. Sacerdos eo decurrens se abscondit, orans, ut futuro anno minus quam nunc conspiciant. Equum *) praeterea candore niveo alebant, solius sacerdotis ministerio attractandum. Hunc equum auspicari faciebant bellum, quod illis imminebat. Nam si dextero pede locum signatum tangeret, faustum, si sinistro infaustum ominabantur.

^{*)} Equorum usum apud potissimas Europae gentes in sacrificiis perquam solennem fuisse, de Rugianis Saxo XIV. p. 312 et Cranzius Vandal. lib. V. scribunt: Alebatur apud Rugianos sacer equus, albus, cuius jubae aut caudae pilos convellere nefarium ducebatur. Hunc soli sacerdoti pascendi insidende jus erat, ne divini animalis usus, quo frequentior hoc vilior haberetur. In hoc equo Deus illorum adversus sacrorum suorum hostes bella credebantur gerere. Cujus rei praecipuum argumentum exstabat, quod is nocturno tempore stabulo insistens adeo plerumque mane sudore ac luto respersus videbatur, tanquam ab exercitatione veniendo, magnorum itinerum spatia percurrisset. Auspicia quoque per eundem equum hujusmodi sumebantur. Cum bellum adversus aliquam provinciam suscipi placisset ante fanum triplex hastarum ordo ministrorum opera disponi solebat, in quorum quolibet binae ex

De omnibus Vandalorum provinciis inde responsa petebantur et sacrificiorum annua libamina persolvebantur. Sed neque mercatoribus, qui forte illas appulerunt sedes, fuit ulla facultas distrahendi sua aut compariandi alia, nisi prius Deo suo de mercibus persolverent. Flaminem suum non minus quam Deum venerabantur, solebant etiam Christianum hominem inter libamina quandoque offerre Deo suo, cuius crux Deos oblectari jactitabant. Vulgo autem duos coluerunt Deos, nempe Belbock et Zarnebock, quasi 'album et nigrum' Deum et sathanam, quasi boni et mali autores juxta Manichaeorum errorem. In hac idolatria ultra annos 100 permanerunt Rugiani maritimi. Nam Carolus 2, Ludovicus 3, et Conratus 1, alias bellis impediti fuerunt, quominus eos domare possent.

Conatus est autem Henricus I. Auceps cognominatus, caesis Hunnis seu Hungaris apud Mersburgum, conterminas gentes, Vandals ad mare usque ad Christianam fidem compellere, ac deinde Otto I. filius ejus tanta virtute illas constrinxit, ut tributum penderent et Christianismum subirent, baptisatusque est magnus Gentilium populus, praesertim in Marchia Brandenburgensi et in regione Megapolensi. Saepe fuit alias tentatum cum Vandalis, ut ad Christi religionem traherentur. Sed tributorum gravissima exactio, quam Saxones impendere solebant victis Vandalis, adeo deterruit gentem ut Christianismi inde conciperent odium et Saxonibus subesse morte gravius ducerent, ac ad vomitum Gentilitatis redirent.

transverso junctae conversis in terram cuspidibus figebantur, aequali spatiorum magnitudine ordines disparante. Ad quos equus ductandae expeditionis tempore, solenni prelatione praemissa, a sacerdote e vestibulo productus, si propositos ordines ante dextro quam laevo pede transcenderet, faustum gerendi belli omen accipiebatur. Sin laevum vel semel dextro praetulisset, petenda provinciae propositum mutabatur. Nec prius certa navigatio praefigebatur, quam tria continua potioris incessus vestigia cernerentur. cf. Tacitus de mor. Germanorum: Proprium, inquit, genti equorum quoque praesagia ac monitus experiri. Publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis candidi et nullo mortalium opere contacti, quos pressos sacro curru sacerdos ac rex vel princeps civitatis comitantur, hinnitusque ac fremitus observant. Nec nulli auspicio major fides non solum apud plebem, sed apud proceres, apud sacerdotes. Se enim ministros Deorum, illos conscos putant.

Apud Vuinulos, h. e. Pomeranos, qui ad Vuindum, hoc est Oderam, fluvium habitabant, primus rex Bilug, qui et Otthonis primi temporibus latissime dominabatur in maritima Vandalia a Vuisla, seu Vistula fluvio usque ad vicinia Cimbrorum seu Jutiae, Christianismus innotuit. Is mortuus est Anno 980 relinquens filios, Mizislam, Nacon et Sedroch, qui Christum palam quidem confitebantur, sed clam prosequerentur.

Populi ad mare habitantes, quia ferociores semper erant, non passi sunt ad se venire, qui fidem Christi disseminaret. In urbe enim Vineta lege caustum fuit, ne quisquam advenarum novae religionis mentionem faceret. Ob hanc causam omnium illi novissimi ad fidem Christi pervenerunt. Tametsi et mediterranei religionem semel acceptam non satis constanter servarunt. Introrsus autem ad orientem Otthone Tertio imperatore Bogislavus Polonorum dux, quem idem Ottho Anno Christi 1001 regem salutavit, omnem Vandaliam usque ad Oderam suis subjiciens tributis ad doctrinam Christianae religionis cogebat. Cooperat igitur ab illa quoque parte orientis rutilare evangelium Christi. Occasio autem conversionis Pomeranorum hoc modo data est. Quidam Hispanus, cui nomen Bernhardo sanctitate praeclarus ab heremita vita tractus Romae in locum schismatici episcopi subrogatus est. Hic inter suos schisma non ferens et intelligens Pomeranos, ethnicis adhuc implicatos esse erroribus eos accessit: in itinere vero a rege Poloniae honorifice exceptus est. Et quamvis audiret, tantam esse Pomeranorum ferocitatem, ut prius eum occiderent, quam Christianam doctrinam acceptarent, his tamen nihil territus, accepto a Bolislao interprete, iter prosequitur et in Pomeraniam venit. Sed humilitatis discipulorum Christi memor, despecto habitu nudisque pedibus oppidum Julinum ingressus, verbum Dei constanter docere exorsus est. Ac cum se Bernhardus nuncium Dei profiteretur, gloriosus, inquiunt, Deus non tam despectos habet ministros, quare consule tibi et revertere unde accesseris.

Interea dum haec dicuntur, Bernhardus zelo Dei securim forte arripiens, in statuam quae in honorem Julii Caesaris medio in foro exstructa fuit, fortiter impressit. Quod cum pagani aegre molesteque ferrent, Bernhardum male tractant, eumque graviter caesum relinquunt. At ipse a sa-

cellano suo erectus rursus de Christo concionari coepit. Quare sacerdotes ethnici, Bernhardum, sacellatum et interpretem ejus naviculae imponunt jubentes, ut praedicandi ardorem et piscibus et volatilibus, quibus otium est communicet. His peractis ad regem Poloniae revertitur, eique narrat omnia, quae gesta essent. Inde Bambergam adiens, a S. Othono susceptus est, et de omni Pomeranorum statu interrogatus, ait, fera gens est, quae secundum faciem tantum indicat hominem. Tu igitur, si illorum saluti consulere velis cum splendore divitiisque et nobili comitatu, ut aggrediaris necesse est. Natus est autem hic Ottho anno 1069 a Bartholdo Comite de Andex, ac factus est Episcopus Bambergensis aetatis suae 33.

Hisce autem temporibus quando S. Otho Suevus Bambergensem regebat Ecclesiam, Bolislans Poloniae rex crebris insultibus vastare et populari Pomeraniam coepit. Et quia Pomerani gentili tenebantur errore, statuit eos aut gladio ad Christi fidem compellere aut Pomeraniam penitus vastare. Sed cum nullus Episcoporum Poloniae Pomeranos accedere auderet, Bolislans dilectum sibi Othonem ad hoc invitavit. Ottho igitur anno 1124 Caesaris Henrici Quinti temporibus licentiam Pomeranis praedicandi a papa Calisto 2, vel ut alii volunt ab Honorio 2 impetravit; ac post Divi Gregorii festum iter ingreditur, intrepidus omnia agens uti a Bernhardo acceperat.

Appropinquanti Bohemorum terrae Ladislans Bohemiae rex legatos in occursum mittit, qui eum Pragam versus in regis praesentiam deducerent. Postea rex comitatum et hospitia usque in Poloniam dedit, ibi Bolislai legati occurrunt et Othonem ad Episcopum Vratislaviensem primo, deinde ad Posnaniensem tandem ad Gnesensem Ecclesiam deducunt. Inde egressus cum suis venit ad castrum Tutzda, quod Polonorum et Pomeranorum confinia jungit. Comes ergo Paulitus, qui Othoni a Bolislao datus, nuncios mittit, ut Othoni in salutem hominum venienti cum suis occurrat et ejus monitis obtemperet.

Adest igitur Wartislaus Primus Pomeraniae dux equis quingentis et suscipit Othonem in Stargardia, ac dat ei ductores, qui hospitia in suis ubique ditionibus curarent. Juxta stagnum quoddam occurrentes ultro gratiam baptismi suscipiunt et primitiae Christi facti sunt; altero die in pago

proximo plures adjecit. Tertia die Pyritiam Ottio veniens non statim ingressus est oppidum. Sed apud sanctum fontem, quod nomen adhuc hodie fons ille retinet, commoratus est. Convenerant enim ibi circiter 4000 hominum ex omni provincia ad prophanum festum luxu, cantu, vociferatione nimioque potu celebrandum. Ottio vero oppidum postea ingrediens ac ubi 14 diebus praedicasset fidei colla submittunt septem millibus hominum, ut fertur, baptisatis. Seorsim tamen viri a foeminis baptisabantur: oppensis circa baptisterium, quod erat dolium terrae media parte impositum, velis: tanto spatio semotis, ut omnis scandali occasio vitari potuerit.

Ubi haec 20 diebus continuis acta essent, et Ottio diligenter populum de Ecclesiae festis et sacramentis instituisset, oppidum Caminum, ubi sedes erat ducis, ingreditur et a Ducissa Heila benigne excipitur. Quare ibi quatuordecim septimanis praedicationi et baptismatis collationi gaudenter operam dedit. Tres quoque fratres Principes Ratiborum, Bogislaus et Suantepolcum simul baptisavit. Wartislaus enim eorum frater in Saxonia fuit baptisatus. Venit interea in oppidum Caminum Wartislaus, qui post obitum patris Suantibori reversus fuit ad gentilismum et salutatis hospitibus gratissimis, sibi ab Otthono veniam dari cupit, quod non ubique obducatus non contempnenda negotia itineri adfuerit. Quod autem dux et primates diu simulaverant, detexerunt; apud Saxones olim, ajunt, baptisati, ut inter idolatras fidem servavimus, Christum vero, cui nomen dedimus, negleximus, sed facta poenitentia mox Ecclesiae reconciliati sunt.

Wartislaus Primos ex civibus Caminensibus dat Ottioni ductores Danislaum cum filio viros honestos, cum quibus per lacum navigio versus Julinum profectus est. Cives autem nimium crueles erant et impii erga Ottionem, dicentes, se sine Stetinensium consilio nihil acturos esse. Quare Stetinum se confert Ottio, ac ibi tutum nactus locum, ultra duos menses Christum concionatur, sed frustra. Nam hi conditionem proponunt, se Christianos fore modo Polonorum rex promissa perpetua pace tributum allevaret. Tandem tamen hac conditione et spe eos perdomuit. Ac baptisatis duobus filiis Danislai, qui magna erat auctoritate apud Wartislaum, multi etiam alii baptisati sunt. Comminuenda quoque omnia prophana et

templa et simulacra censuit Ottlio. Accurrunt igitur alacres et omnia solo aequant. Erat Stetini mira magnitudine Caballus, pinguis, niger, ferox, nullum dignatus sessorem. Quem cum praeda esset agenda vel pugna ineunda, sacerdos equi custos per hastas ordine distinctas et humi positas ducebat atque reducebat. Et si Caballus nullam tangeret hastam, id signum victoriae esse credebatur. Hunc in Christianam terram Ottho misit, quod quadrigis, quam prophetiis aptiorem arbitrabatur. Sacerdos prophanus multa in Otthonem molitus, tumore ventris noctu crepuit. Hinc vidisses omnes, utriusque sexus homines et pueros et adultos cum senibus properare ad fontem baptismatis eodem modo paratum ut apud Pyricenses.

Ottho per Oderam delapsus, Julinum revertitur, ibi tum majori veneratione receptus quam antea expulsus fuerat, et aliquot hominum millia baptisati sunt.

Interim apud Bambergenses dissidium ortum est. Rogatur itaque Ottho ut propter non contemnenda pericula ad suos redeat et imminentia mala avertat. Sed antequam discessit, cunctos, quibus praedicaverat, visitare coepit, et Adelbertum Episcopum Ecclesiis praefecit. Absente vero Otthone Stetinenses et Julinenses a Christo deficiunt.

Ottho, re composita apud Bambergenses quarto anno post abitum non tantum ut Stetinenses apostatas revocaret, verum etiam ut apud Usedomenses Christum annunciat, in Pomeraniam revertitur. Sed ne gravius ducibus esset, per quorum regiones primum transierat, aliam viam suscepit in Pomeraniam. Primum enim Magdeburgum, inde ad Episcopatum Havelbergensem proficiscitur, deinde perducitur Usedomum, ubi convertit cives et delevit Borveit, hoc est, Martem, et Gereveit, hoc est, Mercurium. Postea venit Guitzcovium, ubi a legatis Alberti Marchionis Brandenburgici salutatus est. Baptisatus est etiam tum Comes Guitzoviensis una cum liberis, et aliis quam plurimis. Conversi sunt iterum ad Christum Stetinenses et Julinenses apostatae. Post haec reversus est Ottho Bambergam, ibique mortuus anno Christi 1139. Adelbertus, qui primus Episcopus fuit Julinensis obiit anno Christi 1160.

Conradus secundus Episcopus, sub quo episcopatus fuerat translatus Caminum, obiit anno 1185. Hunc successive seuti sunt Sifridus, Siginus, Conradus 2, Conradus 3, Comes Guitzoviensis, Wilhelmus Dr. Theologiae, Hermannus a Gleichen, obiit anno 1287, Petrus ordinis praedicatorum, Jaromarus princeps Rugiae, obiit anno 1305, Henricus Conradus 4, Wilhelmus ordinis praedicatorum, Fridericus, Johannes, duces Saxoniae, qui Johannes obiit anno 1373. Philippus a Rechberg, Johannes Willichius, Hanneus, Johannes dux Apuliae, Nicolaus Buck, Bogislaus dux Pomeraniae, postulatus, Magnus dux Saxoniae, Sifridus Stolpensis, obiit anno 1446. Ludovicus comes ab Eberstein, postulatus, Martinus Italus, qui aufugit, ac Romae mortuus est. Benedictus Bohemus, Dr. Theologiae, Martinus Carith, Colbergensis obiit anno 1522. Erasmus Manteuffel obiit anno 1554, Johannes Bugenhagius Dr. Theologiae electus ad episcopatum, recusavit. Bartholomaeus Suavenius postulatus, cum aliquot annis administrationi praefuisset, resignavit episcopatum, atque in successorem quasi adoptavit Martinum Weigerum, et obiit anno 1562. Weigerus autem obiit anno 1556. Cui successit Johannes Fridericus Illustrissimus dux Pomeraniae, qui anno Christi episcopatum quasi per manus tradidit fratri Casimiro duci Pomeraniae anno 1575, qui adhuc nunc 1582 preeest episcopatu, estque tricesimus tertius in numero. Horum autem temporibus feliciter propagata est religio, ad quam colendam, multis impensis erexerunt monasteria, in usum juventutis instituendae scholarum loco, ac aedificaverunt templa et collegia. Nam Ratiborus et Wartislaus fratres fundarunt sedem episcopalem in Julino, sed eandem postea Casimirus transtulit in Caminum anno Christi 1175.

Ratiborus etiam fundavit monasterium Grobe in terra Usedom, ubi sepultus est. Idem Ratiborus fundavit monasterium Cistersensis ordinis Prope Panum fluvium in eo loco, ubi Wartislaus frater occisus erat et sepultus anno Christi 1151.

Wartislaus 2, dux Stetinensis fundavit monasterium Colbatz anno Christi 1163. Is quoque verbi ministris salario constituit, ut sonant sequentes versus:

Wartislaus erat primus, qui miles et hospes
 Christi suscepit dogmata sancta pius.
 Expulit ac Stygio natum cacodaemone dogma
 Quod fingit varios, numina multa Deos.
 Ipse sacerdotes passim verbique ministros
 Constituit, vitae subsidiumque dedit.

Bogislaus 2 et Casimirus 1 fratres, fundarunt monasterium Belbock,
 quod nomen est Vandalicum, quasi Bialibock, quod est albus Deus.

Casimirus 1 etiam fundavit monasterium Brede apud Brandenburgam
 et monasterium Ivenack apud Stafenhangen.

Anastasia uxor Bogislai 2 fundavit Treptovii coenobium.

Subislaus Princeps Cassubiae et Wandaliae fundavit anno 1170 mo-
 nasterium Olivae, quod milliare a Dantisco distat. Samborus autem ejus
 filius donavit huic monasterio pagos septem.

Jaromarus princeps Rugiae fundavit anno Christi 1193 monasterium
 Bergen et anno 1199 monasterium Eldenow.

Suantepolcus 3 fundavit monasterium Buckow anno 1232.

Dubislaus princeps Rugiae fundasse dicitur monasterium Camp
 anno 1241.

Barnimus 1 fundavit ante Stetinum coenobium anno 1261. Idem
 donavit anno 1277 Colbergam episcopatui Caminensi. Fecit et Stetini
 anno 1278 ex monasterio collegiatam ecclesiam divae Mariae Virgini sacram.

Fundavit etiam Stetini templum divi Otthonis. De cuius Barnimi
 fortitudine, pietate et liberalitate sunt hi versus:

Magnus erat factis, nulli virtute secundus
 Contudit et hostes impiger ille suos;
 Saepe triumphante vidit Pomeranica tellus
 Hostibus eripuit Martia signa suis.
 Nec minor huic inerat pietas studiumque colendi
 Res sacras, verae religionis iter.
 Extruxit multis domicilia sacra prophanis
 Templaque divinis cultibus apta locis.
 Utque homines possent de religione doceri,
 Nunc juvat et sumtu liberiore pios.
 Tu quoque virtutes referebas Otto parentis
 Cura ministerii, dum tibi prima fuit.

Fundavit etiam Ottlio primus cum fratribus Bogislao 2 et Barnimo 2 Julini coenobium anno 1288, ac variis in locis fundavit templa eaque magnis redditibus donavit juxta sequentes versus:

Otto dedit verbi sumtus victumque ministris,
Ornavit donis templa sacra sua.
Redditibus sacras instruxit pinguibus aedes,
Aedes, quas variis struxerat ante locis.
Nec satis esse Deo, tunc ista dedisse putabant,
Sanxerunt scriptis, rite, sed ista suis.
Heu pietas, heu prisca fides, proh aurea quondam
Saecula, cum tantus cordibus ardor erat.

Mestvinus secundus fundavit Carthusium Marienpfört et monasterium virginum Sarmient. Wuitzlaus tertius fundavit in Rugia monasterium Hiddensee anno Christi 1292.

Academia Gryphswaldiana a Wartislao hujus nominis 12 auspicata et instituta est anno 1456. Quare gens Pomeranica mirifice hactenus literarum studiis et religione dedita fuit, eamque summo studio promovit. Valde autem aliquot retro saeculis obscurata fuit doctrina Evangelii. Monachi enim et id genus alii sub papatu tradiderunt, dubitandum esse; an simus in gratia, nosque non gratia Dei salvari fide, sed ex operibus legis. Inde tot vigiliae, tot peregrinationes ad loca sanctorum, tot superstitiones observationes commentitiorum et inanium operum, tot discrimina ciborum et dierum fuerunt, in his et aliis terris et horrendis tenebris vixerunt, proh dolor, miseri homines sub papatu. Tandem et quidem ante annos sexaginta accendit Deus lucem populo suo in tenebris et in umbra mortis sedenti, misitque Dr. Marthinum Lutherum, qui veram salutis viam monstraret ac verum sensum et intellectum scripturae doceret, nimurum, omnes homines justificari non ex operibus legis, sed gratis propter gratiam Dei per redemtionem, quae est in Christo Jesu. Recipimus igitur in gratiam patris et justi coram Deo reputamur propter Christum sine ullis meritis nostris.

Ut autem doctrina Evangelii facilius propagaretur, Luthero adjunxit Deus σύνεργος ac tantorum laborum socios virtute, pietate et eruditione

praeclaros, Philippum Melanchthonem, Johannem Bugenhagen Pomeranum, Casparum Crucigerum, Justum Jonam, Justum Menium, Johannem Brentium.

Fuerunt autem Pomerani inter primos, qui Lutheranismum, ut vocant, magno cum periculo obviis ulnis amplexi sunt, et in hunc usque diem constanter retinuerunt. In omnibus civitatibus Pomeraniae ea doctrina brevi temporis spatio radices egit, nec dici potest, quantopere, (laus Deo) propagata sit. Dedit enim Deus incrementum et ministros, qui idonei ad docendum essent.

Primus Pomeraniae Superintendens fuit M. Paulus de Rhoda, qui Evangelium pure et sincere sine traditionibus humanis circiter annos 40 docuit. Accesserunt deinceps plures alii: apud Stetinenses Nicolaus Ruhle, Pyricensis, Balthasar Koller, apud Stargardenses Hermannus Rike, apud Pyricenses Dr. Johannes Knipstrovius et M. Faustinus Blenno; apud Stolpenses Dr. Amandus et Jacobus Hogensehe; apud Coslinenses Petrus Caycovius et Dionysius Frisius. Et alibi alii qui cum M. Paulo communis causae defensionem ac propagationem repurgatae doctrinae Ecclesiae renascentis magno conatu susceperunt. Hoc nostro tempore fideliter et constanter in Pomerania Evangelium docent: M. Fabianus Thymeus, Dr. Jacobus Rungius, Dr. Christophorus Styrmelius, M. Jacobus Fabritius, Dr. Johannes Koglerus, Dr. Dionysius Gerson, Bernhardus Strohschnider, M. Petrus Hartmannus, Johannes Granow, M. Johannes Schlake, Daniel Schutz, M. Antonius Remmeling, Gedeon Klomptz nobili genere natus, M. Petrus Zimdars, M. Faustinus Blenno junior, M. Georgius Glambeck, M. David Kroll, Hieronymus Grim, Laurentius Hamell, Andreas Havekental, Joachimus Landwig, Johannes Blenno et quam plurimi alii viri, doctrina virtute et pietate praestantes.

Anno 1548 in comitiis Augstanis conscriptus est de religione liber cui titulus „interim,” in quo pontificia doctrina constituitur. Hinc magnae sunt natae turbae, simultates et bella. Ac tametsi nonnulli defecerunt ab agnita doctrina evangelii, tamen Pomerani constanter permanserunt, nec quicquam vel in doctrina vel in ceremoniis mutarunt.

Professio autem Pomeranorum continetur in his tribus symbolis, seu professionibus articulorum, in symbolo apostolorum, in symbolo Nyceno et in symbolo Athanasii: item in confessione Augustana anno 1530 Carolo V Caesari exhibita. Nostrum autem est: beneficium restitutae lucis divinae reverenter agnoscere et gratias Deo agere, quod ejici doctrinæ monasticae venena ex Evangelicis fontibus voluerit.

II.

Ex Capite quinto Chronicorum Chelopoei.

De Ottone tertio et bello ejus mortem subsecuto.

Joachimus dux Stetinensis obiit anno 1451 impuberem relinquens filium Otthonem 3. Hunc Fridericus Marchio in aula sua educavit ejusque tutor fuit. Tandem restituit eum Stetini in Templo divae virginis Mariae anno 1460.

Natus est Rugenwaldii Bogislaus XI. anno 1454 die vicesimo quarto Maji.

Etsi post haec tempora Marchiones Brandenburgici et duces Pomeraniae plerumque fuerunt conjunctissimi: tamen inter eos subinde orta et gesta sunt bella, in quibus multum damni illatum, saepenumero etiam acceptum est. Idque tali occasione.

Otthonis primi posteritas tenuit ducatum Stetensem usque ad annum Christi 1404. Ejus linea tum desiit in Othhone III. qui peste peremptus sine prole discessit. Hujus igitur insignia quidam Albertus Glindius Marchicus Consul Stetensis tumulo injecit et hic jacet, inquit, Dominium Stetinense.

Aderant multi nobiles et cives affirmantes, adhuc superstites esse duces Pomeraniae eodem sanguine ortos, qui Otthonis III. legitimi successores essent. Quare Iohannes Eickstedius nobili genere natus, insignia

iterum e tumulo eripuit. Magna est autem orta dissensio, quum quidam Marchionum quidam Pomeranorum partes tuerentur. Sed quia maxima pars et promiscua multitudo stabat a partibus ducum Pomeraniae, ii obtinuerunt palmam, et missa sunt insignia Vartislao XIII et Erico II fratribus cum pollicitatione officii et diligentiae.

Quod quidem duces memorati clementi admodum suscepérunt animo ac scripserunt Stetinensibus et ceteris, se eos in suam fidem accepturos, ita tamen ut de ipsorum Privilegiis jure et libertate nihil decedat.

Nuntiatum igitur Friderico II Marchioni fuit de obitu Otthonis III. Quare datis ad Stetinenses et ordines litteris demonstrat ducatum Stetinensem ad se et domum Brandenburgensem delatum esse, ac mandat ut praeter se dominum agnoscant neminem, sed sibi homagium praestent, gravi denunciata poena si quis contra faceret, scribit et clam ad alios quosdam sibi benevolentis ut suas partes defendant, quod quum nonnulli ficerent magna in tota Pomerania sententiarum diversitas orta est. Quare duces Pomeraniae homagium a suis accipere non potuerunt.

Marchio ad Caesarem quoque scribit, et nuntiat Otthonem III ducem Stetinensem in fata concessisse totamque stirpem esse sublatam, ac cum ducatus sibi cedat, petit ut Caesar, de illo investire velit, quod Caesar quia non aliter edocitus, fecit.

Ferunt pro Marchione sedulo laborasse Glindium, et conjurationis socios ut ducatus in ejus potestatem veniret.

Glindianorum autem suasu vocat Marchio Pyricenses, Garcenses et Griffenhagenses et alias civitates in pagum Schildersdorp ut ibi, quid facti opus sit, deliberari possit. Eo quidem venerunt Legati Marchionis et Glindius, sed ex civitatibus soli Garcenses adfuerunt. In hoc conventu cum Legatis Marchionis egit Glindius, ut Stetinum Imperialis in posterum esset civitas et Marchio, occupato nunc ducatu Stetinensi, tradiceret Stetinensibus, Gollnovium, Griffenhamium et Dalm. Nam se effecturum apud Stetinenses promisit, ut Marchionem ejusque copias intromitterent et reciperent, atque hoc pacto ducatum sibi subjicere posset. Garcenses quoque Marchionem intromitterent et ob id daturus esset Marchio aliquot pagos, et bona, om-

nemque erga eos benevolentiam exerciturus. Ut autem haec rata essent, jurejurando invicem confirmarunt in coemiterio pagi Schildersdorp sub arbore philyra seu philura, quae (ut et hodie fama fert) propter inita consilia altera die coepit arcessere nec amplius floruit. Stetinenses vero propositas conditiones non suscepserunt, sed habuerunt et honestatis et famae suae rationem, atque eventum rei (ut sapientem decet) animo pervolverunt. Duces Pomeraniae interea ad Caesarem mittunt Legatum doctorem Matthiam de Wedel genere nobilem et virum doctum qui inaugurationem petat. Caesar aequitate causae cognita, se feudum concessurum promisit, sed ut ipsi duces praesto sint et inaugurationem petant. Hanc autem petere non posse credebant, nisi prius accepto a suis homagio.

Itaque a Caesare prorogationem impetrant ac tametsi duces Pomeraniae denuo apud Stetinenses sollicitarent de praestando homagio, tamen se id, quod tanta sit in ditione dissensio facere non posse responderunt, ea tamen pollicitatione, se eos tanquam legitimos dominos agnoscere, iisque obedientiam praestare velle donec inter eos et Marchionem haec controversia composita sit. Quo responso duces Pomeraniae fuerunt contenti.

Quum autem Glindiani nihil efficerent saepe ad duces Pomeraniae et ordines scribit Marchio addita comminatione, denuncians etiam aliquā ex parte bellum.

Interposuerunt se utriusque ditionis proceres et ordines ut nascenti malo tempestive occurrerent. Sed nihil aliud effectum est, quam ut de conventu in conventum per aliquot annos intercepta res sit induciis.

In hoc rerum statu multi ex ordinibus lenitate ducum sunt abusi, quidquid pro libitu facientes. Non enim tunc facile alicui adversabantur. Inter alios erat Zacharias Hase, natura latro, mercatores antea quidem clam nunc palam spoliens. Is in novo Torgelu ad Ukerum munitissimam habebat arcem. Hunc Hasium admonebat Vartislaus XIII, qui tum erat in Ukermundiana arce, ut a suscepto desisteret, seque emendaret. Sed is cum aliquot latronibus invadit Ukermundium, capit et abducit Senatum, qui in Curia tum convenerat. Quod factum indigne fert Vartislaus eique scribit ut demittat captivos adjecta comminatione. Ad haec Hasius: faciat Vartis-

laus quod lubet, domus adhaeret casae, significans arcem suam esse domum, ducis vero domicilium tantum esse casam. Hanc contumaciam Vartislaus ferre ac pati noluit, accersitis igitur circumjacentibus civitatibus Sundensis, Deminensibus, Pasewalccensisibus, Stetinensisbus, Stargardensisbus. Convocata etiam nobilitate obsidet et expugnat ejus arcem anno 1465. Sed Hasius quum videret, se arcem adversus tantam vim defendere non posse, antea clam aufugerat.

Post haec ordines et civitates ducatus Stetinenses agnoscunt duces Pomeraniae et Volgastenses tanquam dominos, eisque homagium praestant anno 1466. Ac primum qui sunt in anteriori Pomerania deinde omnes civitates ducatus Stetinenses, Pyricenses, Gollnovienses, Pencunenses, Ukermundenses, Treptovienses ad Tollense simulque cleri et nobilitas, exceptis tantum Stetinensisbus qui propter Glindium et complices, se fide et jure jurando devincire recusarunt. Sed quum Vartislaus XIII et Ericus II promitterent, se obliisci velle omnem injuriam neque se velle quidquam ipsorum adimere libertati etiam Stetinenses dant fidem.

Ea re cognita Marchio etsi spe sua subigendi ducatum Stetinensem decidit: nihilominus tamen in sententia exigendi postulata praestitit et pro belli sumptu expetivit Pasevalcum ad agrum Tollense situm et aliquot Census annuos a sacerdotiis, quod duces Pomeraniae renuerunt. Tandem omissis omnibus conditionibus nihil aliud postulavit quam ut feudum a se peterent ut et ipse et posteri ejus de successione redderentur eo certiores. Mandaverat autem Fridericus III Caesar ne id facerent nec ullo modo feendum a Romano imperio transferrent. Quare omnem actionem de conditionibus illis a Marchione propositis abrumpunt.

Marchio cum cogitata non perficeret conciliat sibi omnium principum animos, qui eum non solum manu et armis juvent, verum etiam consiliarios et doctores mittant ut causam suam eo melius defendant et obtineant. Duces autem Pomeraniae adjuvabantur a nullo non enim tum habebant qui eis affinitatis vinculo conjunctus potissimum fuisset.

Duxerat enim Ericus Pomeranissam Bogislai X filiam et Vartislaus Marchionissam quae tum modo fuit defuncta. Megapolenses erant eis

quidem ratione consanguinitatis conjunctissimi, sed illi polliciti fuerant Marchioni etiam de sua parte bellum gerere. Quare in deliberationibus et gerendo bello tantum habebant suae ditionis homines, quorum Consilio et opera uterentur.

Doctores Academiae Gipswaldensis intellexerant propositum Marchionis ejusque argumenta refutare norunt inter quos praecipui fuerunt Mathias a Wedel, Henricus Buco ex nobili genere nati, Georgius Walterus, Johannes Glupwechiter et Joachimus Perlebergius. Haec controversia tum docuit Pomeranos quam tum profuit instauratio Academiae Gipswaldensis.

Sed quum res pactionibus et conditionibus dirimi non possit, apud omnes principes de conferendis auxiliis sollicitat Marchio tantumque effecit, ut novendecim principes una die ducibus Pomeraniae bellum denuncient, Magno igitur armorum apparatu venit Fridericus Marchio elector in ducatum Stetinensem anno 1468. Sed non minore animo duces, qui tenebant, defendere contendunt.

Marchio obsidet et proditione cuiusdam molitoris capit Viradium. Deinde contendit Garcium, ubi erant, qui ut diximus, cum Glindio in pago Schildersdorp conjurarant, hi favebant Marchioni et intromittebant eum. Adigit autem cives in suam fidem ac erigit arcem in eo oppido, ut deinde ducatu bellum inferre eumque finibus suis adjicere possit.

Expugnatae urbi imponit praesidem Vernerum de Schulenborg. Post haec Loicnitum petit, illudque post multas oppugnationes capit omniaque vastat circa Stetinum usque. Nam duces Pomeraniae, quod nullum praesidium accesserat, ex finitimis regionibus, illud impedire non potuerunt. Vicini enim omnes sovabunt partes Marchionis, excepto rege Poloniae et ordine Prussiae, qui se suspectos non faciebant. Item rege Daniae quod ipse bellis impeditus esset. Quare tantum auxilio et opera suorum utebantur.

Consuluerunt plerique non esse contra eundum Marchioni, nam si pugna devinceret eos in periculo essent non tantum ducatus Stetinensis, verum etiam tota Pomeranorum ditio. Quare pugna non decertarunt sed

civitatibus insignioribus mandarunt, ut sese defenserent ceteraque oppida, in finibus sita, firmo praesidio muniebant et fortiter tuenda statuebant ac observabant pabulatum eentes ut eos caperent aut funderent.

Capto autem Loiknitio pergit Marchio et obsidet Pencun, sed frustra, neque enim hoc oppidum judicavit dignum cuius causa magnopere labarent et sumptus facerent. Sed potentiam et vires suas adversus urbem Stetinum, Provinciae caput, exercere instituit. Occupato enim Stetino, facile se posse reliquas civitates in suam redigere potestatem sibi persuasum habebat.

Erat tum Stetini Glindius et complices qui etsi ducibus Pomeraniae fide et jurejurando erant devincti tamen Marchioni magis favere nisi sunt.

Hos clam ad Marchionem misisse ajunt legatos, qui significant, ut intempesta nocte, ante portam Passoviensem adesset, nam se daturos operam ut intromittatur et urbem nihil tale somniantem ingrediatur. Procedit igitur usque ad eum locum ubi malefici puniuntur, ac praemittit, qui explorant, num portae civitatis apertae sint, nam ita fore, Glindius et coniurationis socii, per legatos promiserant.

Ac tametsi porta exterior ab exploratoribus aperta est inventa, tamen verebatur Marchio ne dolus et fraus subesset. Alios igitur mittit exploratores ad interiores portas. Qui ubi salva reperiunt omnia, clam alloquuntur, excubidores qui Marchionis moram aegere ferebant. Non adveniente Marchione Glindius mittit duos Lictores, qui moneant, maturato opus esse. Hoc tamen praetextu ut explorent an hostes adessent et quando reverterentur eorum symbolum esset: Hostis, Hostis, ut si negotium ex voto non succederet res, suspicione careret.

Interea dum haec moluntur Ianius quidam domo exiens, et hunc fremitum audiens ad portas se contulit easque apertas reperit. Convocatis statim sociis Ianiis, qui non procul aberant, ad unum cum armis ad portam Passoviensem currunt, eamque magna indignatione occludunt. Nam redeuntibus lictoribus facile recludi posse. Statim post haec magnus fremitus hominum et hinnitus equorum auditus est. Ac venit Marchio omnibus copiis suis, praemissis tamen duobus lictoribus, de quibus dixi-

mus, ut eo pacto urbem subito ingredi possit. Lictores autem ubi portas reperiunt occlusas, signum esse judicabant quosdam intervenisse, et rem esse patefactam, ac tum clamitabant: hostis, hostis, sed intromissi non sunt. Nam praesentibus copiis Marchionis, cives melius judicabant lictores duos interire, quam civitatem tam inclytam perditum iri. Ita casus et unius vigilantia magnam cladem praevenit intentatam. Quis autem dubitare poterit, hoc divino nutu contigisse? ut populo innoxio et Dominis suis fidem praestanti, tum parceretur.

Appropinquantem autem Marchionem cives Stetinenses emissis tormentis et sagittis de turribus turbant et repellunt. Etsi pulcherrima rei bene gerendae occasio amissa tum videbatur: tamen in valle haud procul ab urbe exspectabat, an alia occasio ingrediendi urbem ei offerretur, sed id frustra.

Omnia enim a civibus ita curabantur, ut Glindius et conjurationis socii ultro ab incepto desisterent, ne res patefieret. Ac et Glindianorum proditio occultata nec prius patefacta, quam post Glindii obitum, cum alter lictorum propter perpetratum facinus incarceratus, eadem confessus sit.

Sequenti vero die cum Marchio aspiceret urbem et diffideret, se eam armata manu capere posse, illinc discessit, et agrum vicinum passim devastavit.

Post haec Griffenhamium contendit illudque obsidione cingit.

Dum haec aguntur Duces Megapolenses Henricus cum Alberto et Magno filiis atque Ulricus agnatus ejus cum magna manu invadunt Tollen-sinum agrum et obsident Treptovium, magnis conatibus insistentes ut capiant, sed prospicientes ex adverso Vartislaus et Ericus validum impo-suerunt militum praesidium; diu res fortiter agitur. Sed injecto igne pa-storales casae et juncta tecta, igne concepto, conflagrarunt ita, ut qui inerant cogerentur abire et cedere flammis. Captio oppido Duces Megapo-lenses imponunt militum praesidium quod satis ad tuendum putarunt.

Dimisso autem exercitu Megapolensi Vartislaus invadit agrum Star-gardensem et Verlensem eumque occupat, omnia incendio devastat, mag-namque abducit praedam, quam in urbem et arces suas infert, et postea

ope Gipsvaldensium et Deminensium die Nativitatis Mariae recuperat Treptovium, ea facilitate qua erat amissum. Redit igitur in potestatem Ducum Pomeraniae quum pro magna parte in ipso certamine caesi essent qui tutandum acceperant, sed tamen priusquam reciperent, stratagemate usi sunt. Currum praeire jusserunt, foenum aut stramina vehentem, in ipsa porta, ut erat constitutum, excidit rota et plastrum subsedit: subsecuti sunt Pomerani qui occuparunt aditum et oppidum hoc pacto recuperarunt.

Sub idem tempus Marchio adhuc obsedit Griffenlagium. Sed illud quod firmo munitum erat praesidio capere non potuit.

Durante autem hac obsidione cum pastor cornu caneret Marchio dicitur interrogasse, quidnam hoc sibi velit? cui quidam responderet: signum esse agendi pecora in campum, seu pascua. — Quid obsidemus Marchio inquit, urbem cui occasionem pascendi pecora impedire non possumus? — Exemplum hoc habent principes unde discant, secundis rebus non nimis fidendum, nec adversis dissidendum.

Fridericus autem Marchio ob infelicem suscepti belli exitum decrevit adire Caesarem, sed subito incidit in morbum et mortuus est. Quare ei successit frater Albertus, quem ob virtutes suas Germanicum Achillem appellant. Hic adit Caesarem et graviter accusat Duces Pommeraniae, quod ducatum Stetinensem ad se et fratrem delatum occupassent atque tenerent.

Citantur a Friderico III Caesare Duces Pomeraniae ut ad accusationem contra eos institutam respondeant, sed ardente tum bello, ipsi non comparuuerunt, misso tamen eo legato Doctore Matthia a Wedel, purgant se, cur ipsi se sistere non possunt, ac simul testificantur non se legitimam ac ordinariam recusare jurisdictionem. Demonstrantes etiam se jure hereditario et justo titulo possidere ducatum Stetinensem. Petunt igitur a Caesare, ut Matthiae de Wedel suorum nomine feuduim concedat. Moritur autem in redeundo Matthias de Wedel. Res veneni suspicione non caret. Obsessa erant itinera, ut quis tuto per Pomeraniam venire non posset. Ac ita designatus dies praeterit. Nec duces Pomeraniae praesto adsunt, legatos am-

plius mittunt. Quod graviter tulit Caesar. Quare secundum Marchionem pronuntiat, eique novo attribuit ducatum Stetinensem et concedit feudum. Exinde statim usus est Marchio Albertus titulo ducum Pomeraniae.

Aliquanto post nunciatum est Ducibus Pomeraniae D. Matthiam de Wedel obiisse mortem. Ac tametsi dies determinatus praeterierat nihilominus tamen adire Caesarem constituit Ericus. Sed diebus aliquot interjectis ad duces memoratos dat literas Caesar, et nunciat, se Marchioni ducatum Stetinensem propter eorum absentiam et contumaciam tradidisse. Ac mandat ut ab ejusdem possessione discedant. Decretum hoc non probabant, sed potius totis viribus impugnabant.

Anno 1470 cum Caesar conventum imperii indixisset Ratisbonae, illuc duces Pomeraniae mittunt legatos suos, Georgium Walterum, et Jarslebium Bernekow, qui omnem rem detegerent Caesari, et peterent, ut denominationem et concessionem feudi irritam faceret. Sed id Caesar abnuit. Mittit autem postea legatos pacificatores Episcopum Augstantum et Marscallum suum, qui anno 1471 Martii mense designant diem in pago Rorcke in finibus Marchiae et Pomeraniae sito. Legati omnes rationes ineundae concordiae tentarunt. Sed id frustra fuit, quare omnia ad vim et arra spectare videbantur.

Per id tempus mortuus est Ulricus Dux Megapolensis sine heredibus masculis. Quo, sicut nemo arctiori vinculo Ducibus Pomeraniae devinctus, ita nemo eo gravior et damnosior hostis fuit. Huic successit Henricus cum filiis, sed illi cum Pomeranis foedus ineunt, se adversus eos non amplius militaturos esse. Ac confirmandae amicitiae causa conveniunt, ut Magdalena filia Ulrici ducis Megapolensis, nubat Vartislao 13, et Sophia Erici ducis Pomeraniae filia nubat Johanni Henrici Megapolensis filio. Sed Johanne mortuo paulo post, eandem duxit Magnus frater ejus.

His peractis illico cogitant Megapolenses, ut controversiam inter Marchionem et Duces Pomeraniae dirimant. Constituunt igitur diem Prenzlaviae, eoque Marchionem et Duces vocant Anno 1472. Post multam actionem eo res pervenit, ut Ericus (repugnante fratre Vartislao) pacis causa ab Alberto Marchione data manu feudum acciperent in eum tantum finem et

effectum, ut Marchio de successione magis caveretur et ut titulum de his terris eandem (ut dictum est) ob causam usurpare ei liceret. Non tamen id fieret in literis quas ad Principem daret, nec ipsis praesentibus. Nullum insuper haberet imperium aut potestatem, nec in ipsos duces, nec in terram Pomeranorum. Quod et Marchio renunciavit. Atque ita pax constituta est. Quilibet nempe retineret ea, quae occuparat atque captivi ex utraque parte dimitterentur.

Sanctas Chelopoei preces quibus finem operi imposuit hic ea de causa subjungendas putavi quia pietatem, firmissimum virtutum omnium fundamentum summumque erga patriam produnt amorem, et antiquam Pomeranorum erga Principes fidem, quos virtutes ut nostri temporis juvenes toto pectore amplectantur etiam atque etiam optamus. Chelopoei verba ita sonant:

„Haec de Pomerania collegi et scripsi, non modo ut significationem gratitudinis meae ostenderem, sed etiam ut in adolescentibus erga patriam misericordias aleretur, et confirmaretur. Certum est autem, singulare Dei beneficium esse, cum dantur salutares successores et principes, juxta dictum: nisi dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Et Daniel 2 inquit: Deus transfert regna et stabilit h. e. efficit ut florent et durent. Neque sunt mutationes sine magnis calamitatibus publicis et privatis, sicut verissime dixit Xenophon: πόσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατοφέραι. —

Te igitur unice et vere Deus, aeterne pater domini nostri Iesu Christi oro et ut in hac regione Tibi colligas aeternam ecclesiam, nec extingui in ea lucem Evangelii et honestarum artium nec deleri disciplinam sinas, et ut totius regionis Principes, gubernatores populum et urbes clementer serves, gubernes et protegas per et propter aeternum Tuum filium Dominum nostrum Jesum Christum μεστήν ἡμῶν καὶ ιέτην qui tecum vivit et regnat cum sancto spiritu in infinita Saecula. Amen.”

Haud irrita fuisse pia Chelopoei, quae pro patriae incolumitate ac salute effatus est vota, est quod nobis, quod patriae gratulemur, grataque

mente erga Deum O. M. agnoscamus Commilitones! Ad Vos enim mea se
 jam convertit oratio, ad quos Sacra haec Saecularia in Gymnasio nostro pie
 peragenda quammaxime pertinent. Quis enim Vestrum erit, qui qualia
 quantaque in nos Deus Optimus Maximus contulerit beneficia non ex in-
 timo animi affectu sentiat, qui non recordetur calamitosam majorum Vestro-
 rum vitae conditionem, qui verum Dei cultum ignorantes ad falsa et com-
 mentitia numina, hominum manibus exstructa confugerant. Quod nos, ex
 his tantis mortis tenebris erepti, per Christi Evangelium candidissimo veri-
 tatis lumine circumfundimur, debemus Dei, humanis linguis non satis praed-
 dicando beneficio, qui per Venerandum Ottoneum episcopum Bambergensem
 prima Evangelii in his terris dispersit semina. Dies itaque quem celebra-
 turi sumus, juvenes ornatissimi, Vobis praeluceat in hujus vitae deserto,
 tanquam stella, qua quondam Magi ad Christi deducebantur praeseppe; me-
 minoritis nihil unquam majus in hac vitae fragilitate Deum O. M. largiri
 potuisse mortalibus, quam Christi Evangelium, quo peccatorum remissionem,
 felicitatem coelestem et immortalia nacti sumus gaudia. Omnia igitur co-
 gitata, omnesque vestras actiones in id intendatis velim, ut Christo adhae-
 rentes, pietate et morum integritate Vos non indignos tanto praebeatiss bene-
 ficio, ut hoc die nasci quasi iterum incipiatis et vitae sanctimonia veros
 Christi Salvatoris asseclas Vos exhibeatis. Verum Dei amorem ejusque filii
 salvatoris nostri Jesu Christi, Evangelii amorem si penitus pectoribus Vestris
 imbiberitis, Commilitones, stabitis invicti contra omnes impietatis et flagi-
 torum cupiditatumque adsultus. Pergatis quo coepistis, juvenes, quos pa-
 terno amplector affectu, et studia, quibus Christi Evangelium contra omnes
 inimicorum impetus possitis defendere, acerrimo colatis ardore. Estote me-
 mores verborum Lutheri, imperterriti et invicti Evangelii propugnatoris:

„So lieb uns das Evangelium ist, so hart lässt uns auf
 die Sprachen halten.“

Quare „vigilate, Commilitones, state in fide, viriliter agite, estote fortes.“

Die festo quo Sacra Saecularia septima conversionis Pomeranorum ad Christi Evangelium sunt celebranda, quatuor juvenes, sua quisque laude conspicui, publicae pietatis officio defuncturi, de argumentis huic solennitati quam maxime aptis, declamitabunt:

1. Carolus Friedericus Guilelmus Hasselbach, Treptoviensis, de certaminibus verba faciet oratione germanica, quibus pro stabilienda ecclesia Christi dimicatum sit ab Apostolis,
2. Henricus Godofredus Hasper, Sedinensis, Vitam Ottonis Episcopi Bambergensis, Pomeranorum Apostoli, ejusque mores adumbrabit oratione latina.
3. Carolus Augustus Hahn, Sedinensis, merita eorum, qui in paganorum terras missi, in propaganda fide Christiana fuerunt occupati, oratione, vernaculo sermone concepta, praedicabit.
4. Henricus Friedericus Breslich, Camminensis, quantum valeat accurata literarum sacrarum tractatio ad veram ac sinceram, ut illis in libris patefacta est, Christi religionis doctrinam stabiliendam ac servandam, oratione latina proponet.

Hunc actum solennem ut praesentia sua illustriorem reddere velint, Virum Excellentissimum Ioannem Augustum Sackium I. V. D. Potentissimi Borussorum reg. a Consiliis intimis, Supremum Pomeraniae praesidem, summum Gymnasii Curatorem, Crucis ferreae et aquilae rubrae equitem; nec non ductores atque praefectos Legionum fortissimos, maxime strenuos, simulque regiorum Collegiorum quae res Pomeraniae publicas forenses et sacras moderantur, Praesides, Directores, Consiliarios, Spectatissimos, Gymnasii Curatores, patronos summa pietate prosequendos, omnes denique qui musis nostris favent ea qua par est observantia rogamus et invitamus.

Venite, Cives, ad Jubilaea, quae nemo Vestrum vidit vel audivit
nemoque ex Vobis posthac visurus est et auditurus.

